



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

4. An qui solum meminit peccasse mortaliter, nescit tamen speciem peccati, possit illud tantum in genere confiteri, non se accusando de aliquo peccato in particulari? Et an qui non habet peccata ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

& similibus casibus teneatur poenitens talem circumstantiam notabiliter minuente in confessione aperire: Et affirmatiue respondet Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. concl. 5. & nouissime Philippus Faber de poenit. in 4. sent. dist. 17. q. vnic. disp. 24. c. 1. n. 23. cum aliis, & ratio est, quia si non explicatur talis circumstantia, Confessarius decipitur in re graui. Deinde si circumstantia notabiliter aggrauates sunt necessario confitenda, secundum aliquos, ita & minuente.

2. Nec valet dicere cum Nauarro, Paludano, & aliis, quos citat & sequitur Suarez 10. 4. dist. 22. scilicet 3. contrariam sententiam docens, magnam esse differentiam inter circumstantias aggrauantes, & minuente, tum quia si à poenitente non explicantur, non possunt excogitari licite à Confessore, quia faceret ei iniuriam; minuente verò sine periculo à iudice possunt excogitari prudenter ex aliis coniecturis. Ceterum, pace viri docti, hæ rationes videntur non satis probare; nam certè quòd aliqua puella admittat iuuenem ad se ad peccandum cum mortis periculo, vel si inopia oppressa, non est modus ordinarius, & si quis vellet facere hoc iudicium sine confessione poenitentis, facile possit decipi, vt patet, quia hæc raro accidunt; nec debet Confessor iudicare peccatum ita esse factum, nisi ex confessione poenitentis sibi constet, neque ex aliis coniecturis potest hæc circumstantiam iudicare facile, quia puella non tenetur ei aperire statum, & circumstantias, quæ non pertinent ad confessionem, ex quibus tamen habuit ortum illa oppressio, & metus.

3. Verum quia ego puto circumstantias notabiliter aggrauantes non esse in confessione explicandas, consequenter doceo, nec notabiliter minuente, & ideo in casu proposito de puella negatiuam sententiam doceo.

## RESOL. III.

*An ingratitude, qua quis post remissa peccata denno peccat, sit necessario confitenda?*

*Et vtrum maius peccatum sit, quod committitur contra innocentiam, an contra beneficium remissionis peccatorum?* Ex part. 10. tractat. 13. & Miscell. 3. Resolut. 4. c.

§. 1. **S**otus in 4. dist. 22. quest. 1. art. 3. putat necessario esse explicandam in Confessione hoc modo: Antea grauitur Deum multis peccatis offenderam, & puto me fuisse consecutum veniam, unde nunc rursus peccando, tanto beneficio fui ingratus: Respondeo, & dico primo: Quando ingratitude est speciale peccatum, est necessario confitenda; vt si quis longo admodum tempore nullas Deo gratias egit, si beneficia illius contempserit, vel etiam paruifecit, si aliquid in contemptum Dei, vel eius beneficiorum fecit. Est communis sententia Doctorum. Dico secundo: Quando ingratitude non est peccatum speciale, sed dumtaxat circumstantia peccati, non est necessario confitenda. Est etiam communis Doctorum. Et ratio est, quia etsi addat aliquam nouam malitiam super malitiam peccati, non tamen tanti est momenti vt per se sit mortalis. Adde, quod nec Fideles conseruerunt se de hac circumstantia accusare, nec Confessarij eos interrogare. Bonum tamen est eam explicare ad maiorem humilitatem. Et hæc omnia Docet Lessius in 3. part. D. Thomæ, quest. 88. artic. 2. num. 12.

2. Sed vtrum maius peccatum sit, quod committitur contra innocentiam, an quod contra beneficium remissionis peccatorum: Scotus dist. 22. art. 3. & Caietanus vbi supra, in D. Thomæ, putant maius esse

peccatum, quod contra innocentiam fit; quia tunc innocentia est maius beneficium; quam remissio peccatorum. Contrarium videtur sentire D. Thomas hic ad 3. & Dominicus Soto, dist. 16. q. 1. art. 2.

## RESOL. IV.

*An qui solum meminit peccasse mortaliter, nescit tamen speciem peccati, possit illud tantum in genere confiteri, non se accusando de aliquo peccato in particulari?*

*Et an qui non habet peccata mortalia, sed tantum venialia satisfaciatur in genere, dicendo se venialiter peccasse, non explicata specie, vel numero peccatorum?* Ex part. 3. tract. 4. Resol. 66.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docent Abulensis, Cano, Medina, Sotus, & Ledesma apud Villalobos vbi infra, quia confessio est actus iudicialis vt patet ex Trid. sess. 14. c. 5. Ergo debet veritari circa aliquod peccatum particulare.

2. Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam docent Coninch de Sacra. disp. 7. dub. 10. n. 97. & Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 12. n. 7. vbi sic asserit. Si poenitens non recorderetur speciem peccati, sed tantum in genere, se mortaliter peccasse, v. g. in prauæ cogitationis consentiendo, debet hoc ipsum Confessario explicare. cum hæc sit sufficiens, imò necessaria materia sacramentalis confessionis, & absolutionis. Ita ille qui citat D. Thomam, Nauarrum, & Suarez, & hanc sententiam fusè docet Villalobos in sum. 10. 1. tr. 9. diff. 34. n. 3. verum est, quod addit, que como no ay hombre que no tenga peccados veniales baga prudentemente que en este caso confessare tambien algun peccado venial, por andar à lo cierto en negocio de tanta importancia, mas quando no lo hiziese, la confession general que queda dicha, es materia bastante en el articulo de la muerte y fuera del. Sic Villalobos, qui respondet ad argumentum supra positum.

3. Notandum est etiam hic obiter, quòd aliqui Doctores, quos tacito nomine referunt Homobonus de exam. Eccl. sp. 1. tr. 5. c. 13. q. 83. & Bonacina de Sacra. disp. 5. q. 5. scilicet 2. punct. 2. §. 3. diff. 2. n. 15. tenent, quòd, qui non habet peccata mortalia, sed tantum venialia, satisfaciatur in genere, dicendo se venialiter peccasse, non explicata specie, vel numero peccatorum. Et hanc sententiam, tanquam probabilem, admittere videtur Homobonus, nam contrariam quam ipse tenet, vocat tantum veriozem, sed illam ex Suarez, & Coninch refellit Bonacina vbi supra.

## RESOL. V.

*An sit peccatum necessario in confessione explicandum, si quis facit aliquid contra conscientiam dicentem illud confusè, vt peccatum, non determinata materia in particulari, nec vnde possit deduci, an sit mortale, vel veniale?*

*Et notatur, quod si quis falsò putans hodie esse Vigiliam, carnes comedat, an sufficiat dicere in confessione, comedi carnes in die prohibito, quia peccatum eiusdem speciei commisit, ac si verè fuisset Vigiliam?*

*Ex quo irse iur agere contra conscientiam non esse speciale peccatum contra speciale præceptum, vel virtutem.* Ex part. 3. tract. 4. Ref. 161. aliàs 162.

§. 1. **A**ffirmatiue respondent Valquez in part. 2. disp. 59. cap. 3. num. 10. Azorius com. 1. lib. 2. cap. 8. quest. 6. Clauis Regia lib. 1. cap. 4. nn. 17. Reginaldus tom. 1. lib. 11. cap. 32. & alij. Nam operati cum